



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum  
Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

20 De regno cælorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](#)

INSTITIONVM LIB. III. 251  
xitate & conditione vixerunt, illis non aliter  
æternitas fututa fuit, atq. tibi futura prædici-  
tur: præterierunt illi, migrarunt ex hoc seculo,  
& nunc præsentem habent æternitatē, quam  
expectabant. Sicut igitur hodiernus dies su-  
periori anno futurus erat, & nunc non futurus  
est, sed præsens: ita æternitas illa gehennę quā  
procul abesse existimas, aliquando te assequen-  
tur, præsensq. aderit, & non sicut tempus om-  
ne quantumuis longissimum, aliquando præ-  
teribit, sed semel præsens factum, in æternum  
præsens manebit. Hæc, tu charissime, obsecro  
etiam atq. etiam cum animo tuo considera, &  
illam longè terribilissimam suppliciorū eter-  
nitatem, quam nulla oratio satis potest enar-  
rate, exiguo labore & poenitentia deuita.

CAPUT XX.

DE REGNO CAELORVM.

O PTIMVS ille sapientissimusq. mū-  
di opifex, & ædificator Deus, cùm  
res omnes è nihilo creauit, in finem  
cas aliquem retulit, non secus atque figulus  
quispiam, qui ad diuersos vitæ humanæ usus,  
diuersa è luto fingit & accommodat vasa. Et  
cæteras quidem creaturas corporeas hominis  
usui & utilitati consecrauit. Hominem verò  
ipsum in hunc finē produxit, vt post hoc exi-  
guum breueque vitæ curriculum rectè & ho-  
nestè confectum, in domū illam æternam mi-  
graret, ubi diuino conspectu fruens, vi-  
lam longè iucundissimam beatissimamque in  
omnem

omnem æternitatē viuerit. Vnde primō manifestum euadit, vitam quam hic ducimus, nihil esse aliud quām viam quandam & medium ad illam beatam & immortalem, resque alias omnes ob eam potissimum causam feras & imparitas nobis, vt iis in hoc itinere ad cælum cōmodius faciliusq. conficiēdo vnamur. Liquet secūdō Christianum hominem, qui hanc veritatem fide edocētus est, omnes suos conatus huc conferre debere, vt à beata illa vita ne excidat, ne frustra in hoc mundo constitutus, nec suæ procreationis finē aſſecutus videatur. Tertiō, hinc efficitur, Christiani hominis mentem cogitationesque non alibi,

*Coloff. 3.*

*Ephes. 2.*

quā in cælo defixas esse debere, iuxta B. Pauli admonitionē dicentis: Quæ sursum sunt, quæ rite, vbi Christus est ad dextrā Dei sedēs; quæ sursum sunt sapientia, non quæ super terram: nostra enim conuersatio in cælis est, qui sumus conciues sanctorum & domestici Dei.

Tria porrò hominum genera sunt, qui de æterna vita aut loquuntur aut cogitant. Primi sunt, qui cælestia illa bona tanquam aliena, & ad se non pertinentia contēplantur, more illorum hominum, qui in itinere insigne aliquod palatium contuentes, pulchritudinē & splendorem eius admirantur, multaq. inter se de illo conferunt, sed prætereuntes ad abiecta aliquam casam rusticā diuertunt. Secundi sunt, qui de cælestibus quidem bonis, tāquam sibi comparatis & propositis multa copiose & splendidē differunt, sed difficultate itineris

mol-

multitudineq. aduersariorum deterriti, neque  
ipsi eò contendunt, neq. alios eò contendere  
sinunt. Quemadmodū olim in deserto decem Num. 25  
illi exploratores fecerunt, quicū Iosue & Ca-  
leph in Palæsthinā promissionis terrā à Mo-  
se ablegati fuerunt. Tertij porrò de cælo agūt  
tanquam de patria ad quam iter habent, eius-  
que cogitatione ac crebra commemoratione  
omnes miseræ huius vitæ molestias & diffi-  
cultates exsorbent, non aliter quam nobilis,  
qui ex longa difficultiq. peregrinatione pedes  
domum reuertens, eminus arcem suā in mon-  
te conspicatur. Hic enim cogitans paulò pòst  
occursurā cū liberis & familia vxorē, in am-  
plexus ruituram, sedem, mensam, epulas, cæ-  
teraq. omnia corporis animi q. oblectamenta  
proposituram, nihilq. defuturū cōmoditatis,  
opum, honorum, &c. in itinere fortiter & ani-  
mosè decurrendo alacriter progrereditur, vim  
sibi facit, atq. adeò etiā comites certa futuro-  
rum bonorum ostentatione animat atque im-  
pelit: si quæ in itinere occurruunt, cæcis quasi  
oculis transit, & futuraru commodity con-  
solatione facile contemnit. Ita affectos esse il-  
los conuenit, qui beati esse volunt, vt magno  
& invicto animi robore superatis omnibus  
impedimentis & difficultatibus, ad illam glo-  
riam contendant, propter quam in lucem edi-  
ti, & per Christum à morte sempiterna vindici-  
cati fuerunt.

## CAPUT